756245

Ex dibris Ignatij Rigo
IIIae Grammaticae Studiosi
Anno 1788 Die 31ta Maj

Petrv I. 598.

ELEMENTA
ARTIS COGITANDI
IN USUM
GYMNASIORUM
ET
GRAMMATICARUM SCHOLARUM
PER
REGNUM HUNGARIÆ
ET
PROVINCIAS
EIDEM ADNEXAS.

Cum speciali Privileg. Sac. Cæsar. Regiæ Apost. Majest.



Nem. Coll. Sc. Piar. Budensis

BUDÆ

TYPIS REGIÆ UNIVERSITATIS
ANNO M D CC LXXVIII.

Prostant Budæ, & Tyrnaviæ, a 9 xr.

DEBRECEN * EGYETEMI KÖNYVTÁR

CONSPECTUS MATERIARUM ARTIS COGITANDI.

INTRODUCTIO IN ELEMENTA ARTIS COGITANDI pag. 1

PARS PRIMA.

De Ideis, & Terminis.

CAPUT PRIMUM.
De objectis, & ideis - - 11

CAPUT SECUNDUM.
De vocabulis, & terminis. - 21

CAPUT TERTIUM.
De Definitione, & Divisione. - 27

PARS SECUNDA.

De Judiciis, & Propositionibus.

CAPUT PRIMUM.
De Judiciis. - - - 35

CA-

CAPUT SECUNDUM. pag.
De Enunciationibus. - - 40
CAPUT TERTIUM.
De propoſitionibus apud Mathematicos uſitatis. - - 48

PARS TERTIA.

De Ratiocinatione, & argumentatione.

CAPUT PRIMUM.
De ratiocinatione. - - 50
CAPUT SECUNDUM.
De argumentatione in ſpecie, & de Syllogiſmo. - - 55
CAPUT TERTIUM.
De reliquis argumentationum formis. 59

PARS QUARTA.

De Methodo.

CAPUT PRIMUM.
De veritate dijudicanda. - - 62
CAPUT SECUNDUM.
De arte inveniendi veritatem. - 69
CAPUT TERTIUM.
De arte diſſerendi. - - 82

INTRODUCTIO
IN ELEMENTA
ARTIS COGITANDI.

§. 1.

UNusquisque ut si vel nihil agere velit, de rebus diversissimis semet *cogitare*, i. e. rem unam ab altera discernere se animadvertet; quidquid illud sit, quod in te cogitat, modo *Animum* vel Animam, modo *Mentem* adpellamus, cogitationesque ejus, si rebus sint conformes, in *veris*, sin dissentaneæ sint, in *falsis* ponimus: & quoniam cuilibet ingenita est cupiditas veritatem videndi, quod facillime cernitur vel in primis Puerorum ætatulis, nobisque ipsis, cum vacui curis, etiam quid in cælo fiat, scire avemus; fit, ut vana & falsa odio habeamus, omnia

Mentis cogitationes veræ, falsæ.

omnia autem cognita nobis vera diligamus.

§. 2.

Origo regularum verum a falso dijudicandi.

At Veritatem ut inveniamus etiam, variis, illisque oppositis plerumque decurrimus viis; dumque vera inter & falsa promiscue erramus, nonnulli quidem fortuito sæpius in veritatem incurrunt, sed alii fucata veri specie allecti falsissima quæque apertis ulnis in sinum suum recipiunt; unde etiam adversa sibi sentientes contrarias in partes distrahuntur. Atque istis discordiæ initiis inducti ex acutioribus nonnulli, quid sit, quare alii aliis felicius cogitent, primum investigare, tum etiam notare cæperunt, donec eadem sæpius animadvertendo, atque notando collegissent regulas, ope quarum vera, ac falsa dijudicare, tutius a falso deflectere, veritatemque assequi possemus.

§. 3.

Ars cogitandi, seu Logica.

Collectio prædictarum regularum, ad quas ceu normam Mens co-

cogitata ſua exigere debet, ne cui falſo aſſentiatur, *Artis cogitandi*, ſeu *Logicæ* nomen accepit. Cumque cogitationes Hominis triplici ratione ſe ſe exerant; aut enim rem quampiam contemplamur duntaxat; aut ultro progredientes de illa etiam adfirmamus quidpiam, vel negamus; aut denique ex cognitis incognitas veritates deducere nitimur; harum omnium Mentis functionum indolem, adnexis generalibus regulis in arte cogitandi evolvere ſunt conati: quumque ad veritatem contendere ſine certo ordine vix liceat, nonnulla etiam utilia non minus, quam neceſſaria præceperunt de Methodo.

§. 4.

Brevis hiſtoria Logicæ Ævi veteris.

Qui vero hanc artem nobis tradiderunt, ſi Veteres, Laertium, ſextum Empiricum, & Suidam audias, primi fuere Philoſophi Eleatenſes ab Elea, ſeu Velia Magnæ Græciæ Urbe ita nuncupati: hos inter Zeno Parmenidis Diſcipulus non ſolum cura Reipublicæ gerendæ, ſed & ſcriptis eruditiſſimis celeber-

rimus circa olymp. 79 ea Philoſophiam Logica adauxit, cujus advertente Gaſſendo tres, *Conſecutionum*, *Dialogorum*, & *contentionum* partes fuerunt; quarum priori regulas recte ratiocinandi, altera colloquiorum rite inſtituendorum, tertia artem Adverſarios revincendi potius, quam erudiendi eſt complexus: quæ præcepta Socrati arriſerunt adeo, ut ipſe etiam eadem adhiberet, neque aliis Plato, ut teſtatur Proclus, in Parmenide uteretur.

§. 5.

Continuatur. Gloriam illius cum æmularetur Euclides Megarenſis, Eubulides, Zeno Citticus, & Cleanthes, naſcitur Chryſippus, qui doctrinæ ubertate, ingeniique acumine hoc meruit aliorum judicium, ut fulcire putaretur porticum Stoicorum; verum, dum frigidos, ut inquit Lucianus, vibrat ſyllogiſmos, dum minutis, conciſisque pugnat argumentis, quibus, teſte Seneca, potuit pungere, nihil autem perforare, magna licet conatus edendo libros

bros Dialectici argumenti ultra tercentos nihil gloriæ Aristotelis detrahere poterat; ita enim apte, & concinne regulas Logicæ dispoſuiſſe viſus eſt Ariſtoteles, ut inventor etiam hujus diſciplinæ a nonnullis haberetur,

§. 6.

Et crevit ſubinde fama Ariſtotelis, poſtquam ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo Cathedras occupare; domi, foriſque triumphare, & unus cœpiſſet laudari Ariſtoteles: ſed dum in verba ejus juratur, dicta ipſius oraculorum inſtar pronis capitibus excipiuntur, perdita philoſophandi libertate multum ſudando a ſcholaſticis captioſarum argutationum genere occupatis ars iſta exiguum promovetur; protruduntur quidem in lucem *Dialecticæ*; multiplicantur fallaci argumentorum formula tumentes *ſummulæ*; augentur voluminibus volumina, at quæ vel mole ſua hoc ſeculo labaſcerent, niſi induſtria ſummorum Virorum jam corruiſſent. *Medii ævi.*

§. 7.

Novi ævi. Ubi enim Joannes Ludovicus Vives, Nizolius, & Eraſmus cum aliis adverſus ſeculi ſui barbariem declamaret, Philoſophaſtros ſatyrico ſale perfricaret, ridendos etiam detracta larva proponeret; fieri non potuit, quo minus acutioris ingenii ad audendum aliquid procliviores excitarentur, ſeque ſervum pecus indignarentur, denique ſervile, in quod obtorto collo ducebantur, jugum Ariſtotelis excuterent: præſtiteruntque iſtud feliciter Auctore Baccono de Verulamio; hic enim edito novo Organo, quo nomine intellexit Logicam, quam Ariſtoteli opponeret, incredibile dictu! quantum litteris lumen adtulerit.

§. 8.

Continuatur. Dum autem iſtius ad exemplum novam inveniendæ veritatis Methodum moliuntur Petrus Gaſſendus, Renatus Carteſius, Nicolaus Malebranchius, Joannes Lockius, ut litteræ aliæ, ita Logica ingens accipit incrementum innumeris pro-

pe

pe in ratione emendanda, atque perficienda ſymbolam ſuam conferentibus; ex quibus Arnaldum, ut dicitur, Auctorem artis cogitandi, Antonium Genuenſem, Eduardum Corſinum, & Sigiſmundum ſtorkenavium dum pronuncio, tuis ſolum uſibus accomodatos me adtuliſſe arbitrere, pleniorem Hiſtoriæ litterariæ de arte cogitandi notitiam conſecuturus, poſtquam Gaſſendum de origine, & varietate Logicæ, Valchium de hiſt. Logicæ in parergis, Stanlei, Heumanni, Brukeri Hiſtoriam Philoſophiæ conſulueris.

§. 9.

Partitio opuſculi.

Prælaudatorum autem ut & ego veſtigiis inſiſtam, omnem cogitandi artem in quatuor partes ſecerno, quarum prima de *ideis*, altera de *judiciis*, tertia de *ratiocinatione*, quarta denique, & ultima parte de *Methodo* præcepta ſuis, ubi neceſſum fuerit, illuſtrata exemplis proponam. In his tamen omnibus equidem vobis, ut loquar cum Tullio, quoniam ita voluiſtis,

fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa ita putabo esse demonstranda, non ut ipse Dux essem, qui de omnibus in itinere occurentibus curioso nimis viatori differat; quod & infinitum est, & non necessarium; sed ut commonstrarem tantum viam, & ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem.

PARS PRIMA

DE IDEIS ET TERMINIS

CAPUT PRIMUM

De objectis & ideis.

§. 10.

Animæ, cujus cum functiones plures ſint, ea tamen, non quidem præcipua, ſed ordine eſt prima, qua rerum diverſarum imagines in mente depinguntur modo ſpeculis conſimili, quibus flores ſi objicias, ſuis diſtinctas coloribus florum imagines in iisdem efformari videbis: illam animi effigiem, qua tibi mens quidpiam repræſentat, Græci *ideam*, Latini *notionem* dixerunt; quidquid autem idea tua complecteris, ſive id exiſtat, ſeu poſſit ſolum exiſtere notionis *objectum* adpellarunt. *Idea & objectum.*

§. 11.

Characteres objecti. Quum autem ex objectis pluribus unum ab altero ex §. 1° discernamus, necesse est uni peculiare quidpiam adesse, quod frustra quæsieris in alio; hæc, ope quorum objecta secerni queunt, *notarum*, atque *characterum* nomine veniunt: ita color, & tessera vestis tibi ostendit, quanam Legione quispiam militum censeatur; sapore, & odore detegis, quid vinum inter, & acetum intersit; quare tesseram vestis pro charactere illius Legionis, saporem, & odorem pro nota vini habe.

§. 12.

Constantes, mutabiles. Sed notarum diversæ sunt classes: aliæ objectis semper, & necessario conveniunt, suntque *constantes*; adesse aliæ, vel abesse possunt, & nominantur *mutabiles*: ex his porro, quæ objecto sunt internæ, quemadmodum nivi inest albedo, neque ad perceptionem sui plurium rerum notione indigent, *modi*; secus *relationes* nuncupantur

tur; quidquid autem diversorum modorum capax est, *substantiam* Philosophi compellarunt.

§. 13.

Individuum.

Si jam alicui conveniat alterutra ex notis singulis, quæ adeo inter se pugnant, ut neque simul consistere, neque etiam simul ab objecto abesse possint, erit objectum omnimode determinatum, *singulare*, *individuum*, secus minus determinatum, vel *commune*: quod ne longius exemplis faciam, concipe animo spatium lineis undique clausum, objectum hoc est minus determinatum: adde, tribus illud lineis, iisque rectis definiri, cogita insuper omnes has lineas esse æquales, atque ita per notas reliquas progrediendo delaberis ad individuum, seu omnimode determinatum triangulum.

COROLL. 1. Quidquid reapse existit, individuum esse dubitari nequit; fieri enim non potest, ut nota alterutra earum, quæ simul abesse non possunt, ad objectum existens non pertineat; ita tu acutus es, vel he-

hebetior, memor, vel oblivioſus, comis, officioſus, vel contra. 2. Objectum minus determinatum nuspiam extra cogitata noſtra reperitur.

§. 14.

Species, genus

Contende nunc individua cum individuis, ſimiles in quibusdam objectis notas conſtantes invenies; collectio harum omnium, in quibus plura individua inter ſe comparata conveniunt, eſt *ſpecies*: cumque diverſæ etiam ſpecies ſimilibus quibusdam præditæ ſint notis conſtantibus, complexus earum notionem *Generis* conſtituit.

SCHOL. Fit ſpecies, ſi 1° plura individua e. g. Ciceronem, Livium conferas. 2° Notas, quibus diſcrepant, cogitatione tua removeas: e. g. Patriam, ætatem, indolem. 3° Conſtantes notas, in quibus perpetuo congruunt, collige in unum, uti ſunt vita, ſenſus, ratio. 4° Has modo notas in unum collectas *Hominis* vocabulo exprime, & *Homo* erit ſpecies. Ut autem Genus efformes, 1° plures tibi aſſummendæ ſpecies e. g. Homo, Agnus. 2° Secretis cogitatione tua notis diſſimilibus, characteres ſolum conſtantes, in quibus perpetuo conveniunt, conſidera: ut ſunt Vi-

ta,

ta, ſenſus. 3° Notas has uno *Animalis* nomine enuncia, & *Animal* eſt genus.

§. 15.

Verum genera, ſpecies, & individua, ſic notis quibusdam inter ſe conſentire cogita, ut aliqua etiam nota diſcriminari queant; collectio notarum, quibus objecta ſemper, & neceſſario diſcordant, continet *differentiam*, quæ eſt aut generum, aut ſpecierum, aut individuorum; hæc vulgo *numerica* adpellatur, ita dicta, quia ſi ab Hominibus diſceſſeris, reliqua individua propriis, & certis nominibus fere deſtituta, numerando computamus. *Differentia.*

§. 16.

His cognitis facile perſpicitur diverſa eſſe idearum genera, quæ a varietate objectorum, diverſoque perceptionum modo oriuntur; quemadmodum evenit in ſpeculis, in quibus depictæ imagines tam pro diſcrimine objectorum, quæ exhibentur, quam a diverſitate ſpecu- *Diverſitas notionum.*

culorum magis, vel minus politorum distingui solent; alia enim est imago statuæ Herculis, quam Jovis; alia Saturni depicta in nitidissimo, ab imagine statuæ ejusdem, quæ in scabro speculo effingitur.

§. 17.

Singularis, communis.

Ideæ itaque, quarum discrimen a diversitate rerum perceptarum petitur, tribuuntur in *singulares* & *communes*: illæ objectum habent omnimode determinatum; his repræsentantur objecta minus determinata, veluti sunt species, & genera. Quodsi non nunquam mentionem fieri audieris de ideis *reflexis*, his mentis propriæ mutationes, ut sunt cogitata, & desideria, exhiberi puta: Ideæ reflexæ *sensus* etiam *intimi* & conscientiæ nomen habent.

§. 18.

Clara, obscura.

Ratione porro modi, quo objectum percipitur, notio omnis est *clara* vel *obscura*: priori exhibentur notæ

notæ ad objectum ab aliis inter noſcendum ſufficientes; in quantum vero rem unam ab aliis non diſcernis, obſcuram illius habes ideam: veluti ſi videas quidpiam eminus inter dumeta diſcurrere, quin diſcernas, Homo ſit, an fera; verum proximius accedens ex greſſibus advertis eſſe hominem, tum ex veſte venatorem, ex vultu denique, & ſermone ſervum Genitoris tui; claram illius modo adeptus es notionem.

§. 19.

Si autem non ſolum objectum quodpiam ab aliis diſcernere, ſed quid etiam unam inter, & alteram ejusdem objecti notam interſit, percenſere poſſis, *diſtincta*, ſecus *confuſa* eſt idea tua: ita diſtinctam hominis nactus eſt notionem, qui non ſolum a feris illum differre, ſed inter notas quoque, quibus homo præſtat feris, e. g. ſermonem inter, & libertatem, atque rationem diſcrimen obſervat; confuſa contra eſt apud Homines idea coloris rubri, hunc enim a colore alio internoſcamus licet, *Diſtincta, confuſa.*

cet, notas tamen illius ſingillatim recenſere nequimus.

SCHOL. Plurimum de via veri migramus defectu notionum diſtinctarum, confuſæ enim ideæ ſimiles eſſe videntur picturis illis, quibus diverſa gentium prælia proponuntur, at propter ingentem armorum, Hominumque copiam remotior militum ſeries exiguis punctulis deſignatur; quibus ex apicibus ſi tu omnem corporis eorum habitum certum reddere ſatagas; nihilo plus agas, quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias: quisquis igitur veri amore ducitur, mentem diſtinctis rerum notionibus imbuat, oportet.

§. 20.

Vis, & poteſtas attentionis.

Sed ad obtinendas ideas diſtinctas, ſicut vim magnam habet *attentio*, ope cujus ita uni alterive objecto cogitationes noſtras affigimus, ut de nulla re alia cogitemus, tum *reflexio*, per quam propoſitæ rei partes minutatim exploramus; ita ad obſcuras, confuſasque ideas hauriendas nihil accomodatius eſt mentis præcipitantia, qua vagum per objecta plurima animum circumferimus; æque enim perperam per-

ci-

peram percipiuntur, de quibus cum festinatione præcipites cogitamus, ac quæ levi oculorum obtutu dissita a nobis conspiciuntur.

§. 21.

Attentionis subsidia.

Juvatur autem attentio silentio, & tranquillitate, unde etiam solitudo Musarum Patria dicta; tum augetur etiam voluptate, qua quis ex certo rerum studio perfunditur; nempe hic quoque verum est illud; trahit sua quemque voluptas: veritatem autem cum voluptate investigabis, si frequentius illud Aristotele dignum effatum oculis subjeceris, studiorum liberalium amaras quidem radices, at fructus perquam dulces esse; unde bene Horat. Qui cupit optatam cursu contingere metam, Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit. Et ne in numero attentionis juvandæ longius recenseam Symbola, & imagines sensibiles rerum minus vivide perceptarum litteris Algebraicis, vel figuris Geometricis describi solitas, urget me ultimum attentio-

nis ſubſidium, quod eſt in exercitatione poſitum.

§. 22.

Continuantur. Nihil eſt enim, quod attentionis vim roboret validius, atque frequentior, & non intermiſſa exercitatio, qua animum a rebus ſenſus noſtros ferientibus avocamus, contemplationique objectorum a ſenſibus remotiorum aſvefacimus: hoc adjutus ſubſidio Julius Cæſar fertur attentionem ſuam eousque perduxiſſe, ut ſeptem diverſas, aut ſi ipſe etiam ſcriberet, quatuor epiſtolas calamo excipiendas aliis dictaverit: Et Archimedes in tanto tumultu, quantum capta Syracuſæ urbs in diſcurſu diripientium militum ciere poterat, intentus formis, quas in pulvere deſcripſerat, nihil turbabatur.

§. 23.

Ordo in contemplatione rerum neceſſarius. Verum non quævis attentio, etiam ſine ordine hinc inde diſcurrens continuo diſtinctas ideas efficit; in contemplatione rerum ordinis

nis ratio habenda est, vi cujus res eo considerentur modo, quo illæ ex se invicem oriuntur, & promanant: prima itaque cujusvis disciplinæ principia ut rite assequaris omni opera enitere, initiis enim non cognitis ne digitum progredi poteris: quis enim Analphabetus cum sit, parem se legendo Homero jactaverit?

Schol. Vitio hoc tenentur fervidioris ingenii Adolescentes, ut faciliora transiliant, cursimque ad difficiliora, & ultima rapiantur: quo fit, ut cum prima lumen præferant Sequentibus, prioribus insuper habitis nutare in tenebris, & errare, aut cum jactura temporis ad prima capita regredi cogantur; quocirca sapienter præcipit Verulamius, Juvenum ingeniis non plummas, aut alas, sed plumbum, & pondera addamus.

CAPUT SECUNDUM.

De Vocabulis, & Terminis.

§. 24.

Ut ea, quæ mente concepimus, loquendo depromere aliis possimus, adhibentur vocabula, seu *Vocabulorum finis.*

termini, qui sunt indices notionum nostrarum; si enim, inquit Cic. or. pro Cæc. Voluntas tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur, quia non potest, verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ voluntatem indicarent; & quia ideis repræsentantur objecta, termini sunt etiam objectorum indices.

§. 25.

Termini licentius conficti.

Quare, cum ille vocabula ab alio prolata *intelligere* dicatur, qui easdem notiones connectit cum vocabulis alterius, quas illis loquens junxerat, manifestum fit, vocabulorum natura abuti eos, qui terminis peregrinis, licentiusque confictis utuntur; Unde pro merito suo A. Gellius castigat Laberium nova verba fingentem, qui enim intelligetur in Mimis, quos scriptitavit, ita loquens: *Manuari* i. e. fur *pudorem perdidisti*, & in staminariis, dum ex sordidiore vulgi usu *elutriare lintea*, & *Lavandaria* dicit, quæ ad lavandum sint data, absurde id quidem.

§.

§. 26.

Verbis autem uti peregrinis, aut nimis obsoletis par esse delictum videtur; quidni igitur vetus ille apud Gellium l. 11. Romæque celebratus in causſis Homo, dum dicere vellet, quemdam misero victu vivere, cum furfureum panem edat, vinumque corruptum bibat, *Hic*, dixerat, *Eques Romanus aplaudam edit, & flocces bibit*, juste sit irrisus ab universis, quasi nescio quid Tuscé, aut Gallicé in latino sermone dixisset? legerat nempe aplaudam in Plauti comædia Astraba dicta; flocces audierat apud Cæcilium in Polymenis, eaque sibi duo verba ad Orationum ornamenta inepte servaverat. *Obsoleti.*

Schol. Est hoc vitium plerumque seræ eruditionis, ut quod nunquam didiceris, diu ignoraveris, quum id scire aliquando cœperis, in quocunque loco, & quacumque in re dicere: veluti fecerat Romanus ille, quum Adversarius causam differri postularet; *Rogo Prætor*, inquit, *subveni, succurre; quoniam usque nos bovinator hic demoratur!* atque id voce magna ter, quater inclamavit, *Bovinator est*, commur-

muratione facta a plerisque, qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus; jactans ille, & gestiens, non enim, inquit, Lucilium legistis, qui tergiversatorem, *bovinatorem* dicit. ita Aul. Gell. Noct. Att. l. 11. c. 7.

§. 27.

Metaphorici, & æquivoci.

Quod vero diligentius est observandum in terminis alii sunt *proprii*, qui rem eam denotant, cui significandæ primitus destinati sunt; alii *metaphorici*, qui a significatu proprio transferuntur ad designandam rem; cui denotandæ præsto est alius terminus proprius: e. g. vocabulo *Fidelis* domicilium proprium est in officio; migrationes in alienum multæ, nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest: *fixi* sunt, qui eidem constanter notioni indicandæ destinantur; qui modo hanc, modo illam denotant ideam, *vagos*, *ambiguos*, *æquivocos* compellabis; sic æmulatio dupliciter dicitur, ut & in laude, & in vitio nomen hoc sit, nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur, & est æmulatio ægri-

gritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat.

§. 28.

Hæc porro ambiguitas non ex solis vocibus est æstimanda, nam sæpe evenit, ut vocabula quæque seorsum considerata sint fixa, & dilucida; at conjuncta simul phrasim dubiam, & ancipitem efficiant, ut est illud Terentii in contrarias partes versatile: *Uno animo omnes socrus oderunt nurus*; hujusmodi ambiguis, & flexiloquis vocibus edebantur antiquitus Apollinis Oracula; ita dictum refert Cic. l. de Div. Cræsus Halym superans magnam pervertet opum vim; item: Ajo te Æacida Romanos vincere posse; quod locutionis genus est *Amphibologia*: Unde controversia illa, inquit Quintilianus. l. 7. Testamento quidam jussit poni statuam auream hastam tenentem, quæritur, statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materiae? *Amphibologia.*

§. 29.

Terminus inanis. Fit etiam non nunquam, ut habere ideam quampiam Homines ſibi videantur, nullamque omnino habeant; dumque apparentem hanc, & deceptricem ideam vocabulo quopiam exprimere nituntur, proferant inanem, cui nulla idea reſpondeat, ſonum: ſimile vocabulum notione omni deſtitutum vocatur *terminus inanis*: hujusmodi vocabulis ſtrepebat Vellejus apud Cic. dum Deos habere *quaſi corpus*, & *quaſi ſanguinem* aſſerebat; cui bene reſpondit Cotta dicens: Corpus quid ſit intelligo, quaſi corpus, & quaſi ſanguis, quid ſit, nullo prorſus modo intelligo, & ne tu quidem intelligis: termini autem inanes oriri ſolent plurimum ex ſignificatione vocum ſignificata re ſibi adverſarum, e. g. lapis ſentiens. ligneum ferrum.

Coroll. His præſtitutis facile colliges nulla voce eſſe utendum, cui non ſit ſubjecta res quæpiam, quam ſignificet; quid enim eſt tam furioſum, ait Cicero, quam verborum vel optimorum, atque ornа-

natissimorum sonitus inanis nulla subjecta sententia, nec scientia? Cavendum item esse a terminis ambiguis; aut enim ancipitem reddes auditorem, quodnam ex pluribus significatum voci substituere debeat, ut tecum cogitando sentiat; aut tu ipse cogitationum tuarum interpres, ut intelligaris, interprete novo egebis.

CAPUT TERTIUM.

De Definitione, & Divisione.

§. 30.

Necessitas Definitionis.

Verum partim vocabulorum penuria constricti singulas mentis nostræ ideas singulis vocibus exprimere non possumus, partim ne in loquendo assidua vocabulorum circumitione moras faciamus, contrahendi sermonis caussa plures ideas uno, alterove termino exprimere consvevimus; quo loquendi genere efficitur sæpius, ut prolatis quibusdam cum vocabulis aliam loquentes, aliam audientes notionem conjungant; quapropter, ne vagari, & errare cogatur oratio, ne-

ceſſum eſt aperire primo, ſingillatimque evolvere plures ideas, quas verbo uno concludere in loquendo ſolemus; cogitur iſtud ope Definitionis.

§. 31.

Definitio. Eſt igitur *Definitio*, oratio ſingillatim enumerans notas objecti, quibus illud ſemper, & ab omni alio diſcerni poſſit; quod definitur, *definiti* nomen habet: exempli cauſſa ſint Tullii definitiones dicentis: Metus eſt opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur; pigritia eſt metus conſequentis laboris: & quia ope definitionis objectum ab aliis per enumerationem notarum diſcerni debet, definitio non ſit negativa; niſi ubi ex duobus ſibi repugnantibus unum rite definieras, tum licebit pro altero membro negativam concedere definitionem; dixiſti e. g. verum eſſe, quod eſt conforme ſuo objecto; dic falſum eſt, quod difforme ſuo objecto.

§.

§. 32.

Cumque definitio inſervire debeat rei ab omni alia, & ſemper dignoſcendæ, quod per ſolas mutabiles notas fieri non poteſt, palam eſt in definitionibus conſtantes rerum characteres adferendos eſſe; ſi igitur rei explicandæ gratia notæ duntaxat mutabiles enumerentur, erit proprie *deſcriptio*: qualem etiam Iudices in litteris, quibus fugitivum reum perſequuntur, dare ſolent, dum ipſum delineant ad mentem Terentii dicentis: eſt *Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus cæſius, cadaveroſa facie*: ſimili ratione Hiſtorici deſcribunt provincias, urbes, facta, & perſonas, quod egregie præſtitit etiam Svetonius in exponenda omni Romanorum Imperatorum vultus conformatione. *Deſcriptio.*

§. 33.

Denique ut definitiones ſint rectæ, eas ſequentibus conſtringi legibus Quintil. voluit: *Finitio ſit*, inquit ille, *rei propoſitæ propria, di-* *Leges definitionis.*

dilucida, & *breviter comprehensa verbis enunciatio*: erit autem *propria*, si cui definitum, omni, & soli illi objecto etiam definitio congruerit; in definitione enim ex §. 31° notæ duntaxat exprimuntur, quæ in definito implicatæ latebant. Bene igitur Diogenes, dum a Platone definiri Hominem, *est animal bipes, sine pennis*, inaudivisset, in auditorium ejus nudatum pennis Gallum gallinaceum inegerat, cum dicto: *Hic Platonis Homo est!* namque allatam definitionem soli Homini non congruere, facto exhibuit, & ad *latos ungues* definitioni Hominis adjiciendos Platonem coëgit; quæ tamen definitio etiam reprehendi posset, cum non omni homini, digitis nempe destituto conveniat.

§. 34.

Continuantur. Nisi vero *dilucida* esset definitio, ope illius ex §. 18° non discerneres definitum ab omnibus aliis rebus; cavendum itaque, ne in definitionem irrepant termini inanes, vagi, metaphorici; ut si quis

quis adoleſcentiam per florem ætatis, ſenectutemque per occaſum vitæ definire vellet, translatione utens claram non adferret definitionem: Neque etiam vitio carebit definitioni inſerere vocabulum, cujus definitio poſtulatur; ut ſi diceres ideam eſſe diſtinctam, qua diſtincte objectum exhibetur: cum denique definitiones ſint fundamenta ſcientiarum, breves illæ ſint oportet, ut facile memoria retineri queant.

Schol. Veluti ingens eſt definitionum in diſciplinis uſus, ita inſipidus aliquorum omnia definire, aut deſcribere ambientium pruritus; ut ſi quis, ait Cic. l. 2. de Div. Medicus ægroto imperet, ut ſummat terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam potius, quam Hominum more cochleam dicat. Sunt nempe quæpiam perſpicua adeo, ut definiendo illa obſcures magis, quam illuſtres: Similium definitionem moleſtius urgentibus dicere tuto poſſis, quod olim Democritus quærentibus, quid ſit Homo, non abſque ſale repoſuit: *Homo eſt, quod omnes ſcimus.*

§. 35.

§. 35.

Divisio. Sed objecta successive, & per partes examinata ex §. 20° distinctius cognoscuntur, quare peracta rei cujuspiam definitione transeundum est ad *Divisionem*: Hæc est generis in suas species distributio; genus, quod dividitur divisi, vel totius Logici, species porro, in quas genus tribuitur, membrorum dividentium, vel inferiorum nomine veniunt: Divisionem suppeditat Cicero dicens: Mortalium pars in Hominum, pars in bestiarum genere versatur.

§. 36.

Regula 1a Divisionis. Ut autem divisio bona sit, ad eas exigatur leges, quas Tullius l. 1. de inv. translatas a se ex Philosophia asserit, *habere debet*, inquit ille, *brevitatem*, *absolutionem*, *paucitatem*. Habebit *brevitatem*, si nullum nisi necessarium verbum assummatur, nam rebus ipsis, & partibus propositæ causæ, non verbis animus Auditoris est tenendus: quare etiam divisio non sit

nimis

nimis minuta; idem enim vitii, monente Seneca ep. 89. habet nimia, quod nulla diviſio, ſimile confuſo eſt, quidquid uſque in pulverem ſectum eſt.

§. 37.

Abſolutionis autem vis ea eſt, ut omnia dividentia membra enumerentur, ſpeciem enim aliquam ſub genere incluſam relinquere vitioſiſſimum foret; cum diviſionis ſcopus ſit, indolem totius generis diſtinctius pervidere poſſe. Legi huic faciunt ſatis, qui numerum omnem dividunt in parem, & imparem: aberrant, qui omnes homines in duas proborum, & ſceleratorum claſſes diſtribuunt; complures enim in ſtatu medio reperias, quibus illud Taciti de Galba applicari queat: *Magis extra vitia, quam cum virtutibus.* *Regula 2da.*

§. 38.

Paucitas denique ſervabitur, ſi genera ipſa rerum ponantur, neque permiſte cum partibus impli- *Regula 3tia.*

plicentur ; ſecus bis membrum idem contra §. 36. poneretur: unde, qui ita dividit, inquit Cic. oſtendam propter cupiditatem, & audaciam, & avaritiam adverſariorum omnia incommoda ad Rempublicam perveniſſe, is non intellexit in diviſione expoſito genere partem ſe generis admiſcuiſſe: nam genus eſt omnium, nimirum libidinum, cupiditas, ejus autem generis ſine dubio pars eſt avaritia. Ex his cogitur, diviſionem primum ex membris maxime generalibus formandam, tum, ſi neceſſe fuerit, membrum dividens diſtribuetur eo tempore commodiſſime, cum ad ipſum ventum fuerit explicandum.

PARS

PARS SECUNDA

DE JUDICIIS, ET PROPOSITIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Judiciis.

§. 39.

Judicium.

Postquam mens plurium objectorum ideas sibi effinxerat, easdem invicem contendit; tum examinat, num objectum ideæ unius consentiat, an repugnet objecto ideæ alterius, denique annuit, vel abnuit objecta cognita sibi congruere: hæc mentis sententia, qua ex objectis perceptis unum alteri convenire adfirmamus, vel negamus, est *judicium*. Percipis e. g. quid sit Senectus, quid item morbus; tum hæc sibi prorsus non repugnare observas, inde etiam efformas judicium: Senectus ipsa est morbus.

COROLL. In omni judicio adesse debet notio rei, de qua aliquid adfirmatur, vel negatur, quæ res *subjecti* nomine venit; necessaria est deinde notio illius, quod adfirmatur, aut negatur de re quapiam, & *prædicatum* nominatur; idearum denique prædicati, & subjecti concordia, vel discordia menti aliquatenus reluceat, oportet.

§. 40.

Verum, falsum Judicia porro alia sunt *vera*, *falsa* alia, cumque veritas cogitationum ex §. 1°. consistat in conformitate earum cum suis objectis, ejusmodi autem Judicium consentaneum sit suo objecto, in quo prædicatum non repugnat subjecto; secus vero sit dissentaneum, dubium esse nequit illud inter vera; hoc, dum idea prædicati pugnat cum notione subjecti, ad falsa judicia, seu errores rejici debere; e. g. ex vero judicas, dum victum, & vestitum ad valetudinem, non ad voluptatem corporis esse referendum asseris; erras contra, dum appetitum sub jugum rationis mitti debere negas.

§. 41.

§. 41.

Ubi adeſt concordia prædicati cum ſubjecto, hæc nonnunquam ita cognoſcitur, ut de ea prorſus formidare nequeas; hoc in eventu veritas tibi eſt *certa*, ſecus *incerta*: *evidens* erit, ſi ex ideis prædicati, & ſubjecti concordia eorundem tibi reluxerit, ſin minus, *obſcura*: e. g. Certum tibi eſt, ex temeraria agitatione litterarum Andromacham Ennii, aut Æneidem Virgilii non coaluiſſe; evidens, Totum ſingula ſua parte majus eſſe; Judicium certum, ſimulque evidens *ſcientia* vocatur. *Certum, evidens*

§. 42.

Pone incertam tibi eſſe objecti veritatem, judicium etiam, quod in hoc ſtatu depromis, erit incertum, & vocabitur *opinio*, quæ eſt aſſenſus, vel diſſenſus cum formidine erroris objecto præſtitus; quumque eveniat frequentius, ut dum mens incerta de objecti veritate errorem metuit, aſſenſumque inter, & diſſenſum anceps *Opinio, dubium.*

ceps fluctuat, omne de tali objecto judicium sustineat: hæc mentis fluctuatio, omnisque judicii retentio dicitur *dubium*.

§. 43.

Oritur autem dubium.

Quod tum cognoscitur maxime, dum argumenta sententiæ cujuspiam contrariis, illisque paribus infirmari rationibus cernimus; velut si duo homines dicant tibi hesterna die in montibus grandine pluisse, duo autem alii similis conditionis id ipsum inficientur. Istam tamen rationum æqualitatem non subtili aurificis libella examinari volo, illæ etiam rationes in numerum æqualium referantur, quæ parvo excessu se se mutuo superant; *Parum enim*, ut communis fert sententia, *pro nihilo reputatur*. Unde, ut ait Terent. in Andr. Dum in dubio est animus, paullo momento *huc*, *illuc* impellitur.

§. 44.

§. 44.

Jam in ferendo de rebus judicio illud præprimis notandum, ne incognita pro cognitis ſupponamus, hisque temere, & arroganter aſſentiamur; quid enim, recte admonet Cic. l. de Nat. Deor. tam indignum ſapientis gravitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere: cujus vitii ſummam eſſe medelam puto, opinionibus temere conceptis, ceu præjudiciis reſiſtere, aſſenſusque lubricos ſuſtinere; quam dubitationem qui præcipiunt, abſit, ut cum ſcepticis faciant, qui tota die in ſciendo nihilo occupati univerſale de omnibus etiam certis, & evidentibus veritatibus dubium præceperunt; furioſum namque videtur, dubitare velle, ubi errorem formidare nequeas.

Regula pro ferendis judiciis.

CAPUT SECUNDUM.

De Enunciationibus.

§. 45.

Enunciatio.

Judicium verbis expreſſum *enunciatio* vel *propoſitio* nuncupatur, & pro varietate judiciorum eſt vera, vel falſa, certa, evidens, affirmativa, *negans*: in hac illud obſervandum, ut particula negativa referatur ad copulam, cujus nomine venit verbum auxiliare *eſt* conjunctionem prædicati cum ſubjecto indicans: ſi enim illa ad ſubjectum duntaxat, vel prædicatum pertinuerit, propoſitio in claſſe affirmantium cenſebitur, & dicetur *infinita*; ſicuti eſt hæc: Non ulciſci, cum poſſis, injurias pulchrum eſt.

Schol. Singula propoſitio tribus conſtat partibus, ſubjecto, prædicato, & copula; tres iſtæ partes non ſemper diſtinctim ponuntur, latent nonnunquam quæpiam earum in verbo implicatæ, quas facile explicabis, ſi ex verbo participium for-

formans, verbum auxiliare *eſt* illis adjunxeris. e. g. Veni, vidi, vici; dic: ego fui veniens, videns, vincens.

§. 46.

Diviſio ex parte ſubjecti petita.

Sequuntur Diviſiones enunciationum, & ne minutioribus quibusdam occuper, adferam eas, quæ ex diverſitate ſubjecti oriuntur. Dum ſubjectum enunciationis eſt individuum, propoſitio eſt *ſingularis*. e. g. Thales fuit in ſeptem ſapientiſſimus, Chartago æmula Romani Imperii ab ſtirpe interiit: ſin autem ſubjectum ſit terminus communis, & prædicatum de omnibus ſubjecti inferioribus enuncietur, erit propoſitio *univerſalis*; exemplum habe ex Cicerone; Omne Animal ſimul, ut ortum eſt, & ſe ipſum, & omnes partes ſuas diligit: Tum demum propoſitio in *particularibus* numerabitur, quando prædicatum de quibusdam ſolum in ſubjecto incluſis enunciaveris. e. g. Minuti quidam Philoſophi animos Hominum quaſi capite damnatos morte mulctant.

§. 47.

Medium dijcernendi particularem ab universali propositione.

Characteres vero, ope quorum discernas particulares ab universalibus propositionibus, duos hos notabis: enunciationem particularem indicant vocabula *aliquis*, *quidam* &c. Universali autem fere præfigi solent signa hæc, *omnis*, *nullus*; quodsi nullum ex particularibus, aut universalibus signis communi enunciationis subjecto præstituatur, erit propositio universalis, dum prædicatum illius nota constans fuerit; e. g. Virtus præstabilior est voluptate; sin vero prædicati vices obierit nota mutabilis, ad particulares pertinebit. e. g. Philosophiam loqui latine Romani jusserunt.

SCHOL. Frequentius prædicatum convenit singulis subjecti inferioribus cum exclusione unius, alteriusve. e. g. Suam quique, ait Sallust. culpam actores ad negotia transferunt: istæ non in sensu, ut dicitur *metaphysico*, sed *morali* universales adpellantur, ususque earum maximus in communi sermonis consuetudine occurrere suevit; in hac enim, quod plurimis congruit, omnibus tribui solet; e. g. Omnes Juvenes

nes ſunt leves; Senex omnis laudator temporis acti ſe puero.

§. 48.

Simplex eſt enunciatio, in qua unicum ſubjectum, & prædicatum reperitur, ſecus eſt compoſita; quæ pro varietate particularum, quibus membra compoſitæ propoſitionis colligantur, in diverſas tribuitur Claſſes; copulativam, disjunctivam, & hypotheticam: in hac de ſubjecto adfirmatur, vel negatur prædicatum ſub quapiam conditione, & membrum, ad quod refertur particula *ſi*, *niſi*, vocatur conditio, vel antecedens, pars altera conditionatum, aut conſequens.

Diviſio a diverſitate pluriumſubjectorum, prædicatorum.

Exemplum *Copulativæ* dat Salluſt. dicens: Priuſquam incipias, conſulto, & ubi conſulueris, mature facto opus eſt: item; fruſtra niti, neque aliud ſe fatigando, niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt: *Disjunctivæ* Horat. Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuique; ita etiam disjunctiva propoſitione continebatur lex Græcorum in conviviis ſervari ſolita, cujus meminit Cic. *Aut bibat, aut abeat. Hy-*

pothetica est: Sincerum est, nisi vas, quodcunque infundis acescit.

§. 49.

Requisitum ad propositionum veritatem.

Atque hæ sunt divisiones enunciationum; quarum si veritatem exploras, adverte; num, quod necessarium omnino est, in enunciatione negante discordet, in adfirmante autem conveniat prædicatum subjecto secundum omnem *partem*, & *modum*, juxta quem de subjecto adfirmari, vel negari ex usu recepto intelligitur: ita ad veritatem hujus enunciationis: Socrates egregie de immortalitate animorum disseruit: non sufficit Socratem de illa sermonem habuisse, requiritur simul, ut hoc argumentum fuerit ab ipso *egregie* pertractatum.

§. 50.

Applicantur ad provositiones compositas.

Quare copulativa propositio, ut veris accenseatur, omnia illius membra veritati innitantur, oportet, contra ad veritatem Disjunctivæ satis est, partem ex disjunctivis

ctivis unam esse veram; in illa enim omnes, quas complectitur partes, veræ esse asseruntur; in altera autem una solum inter veras admitti petitur: Hypothetica demum, cum solam consequentis cum antecedente connexionem indicet, præter hunc nexum ad veritatem illius nihil ultra requiritur.

e. g. Vera est *copulativa* Ciceronis: Temeritas, & libido, & ignavia semper animum excruciant, sollicitant, & semper turbulentæ sunt: falsa ejusdem *disjunctiva*: Animus cujusque perit cum corpore, vel post mortem est beatus: Vera hæc *hypothetica*: Si respirat, vivit.

§. 51.

Nonnunquam etiam plures propositiones, quæ invicem conferuntur, habent idem prædicatum, & subjectum, unaque earum est adfirmans, altera negans; & hæ adpellantur oppositæ: quarum utraque si fuerit universalis enunciatio, erunt contrariæ: tum autem contradictoriæ, cum propositio negans neque plus, neque minus *Oppositæ enunciationes.*

nus negaverit, quam oporteat ad falsitatem adfirmantis; *Universali* itaque contradicit particularis oppositа; & *copulativæ* ut contradicas, oppone illi disjunctivam; *Hypotheticæ* porro contradictoriam adferes, si nexum, quo conditionatum cum conditione devincitur, sustuleris.

Exemplum 1^mi Nihil est tam difficile, quin inquirendo investigari possit; *contradic hac particulari*: Est aliquid adeo difficile, quin inquirendo investigari possit; 2^di Credula vitam spes fovet, & melius cras fore semper ait; *contradic.*: Vel credula vitam spes non fovet, vel non ait semper melius cras futurum. 3^tii Dolor si levis, tolerabilis est; item, si vehemens, haud erit diutinus. *Contradic*: Dolor etiamsi levis, non est tolerabilis; item, si vehemens, erit quoque diutinus.

§. 52.

Leges oppositarum. Lex vero contradictoriarum docet, fieri non posse, ut illæ veræ simul, aut falsæ sint; impossibile enim est idem simul esse, & non esse: Simili ex ratione contrariæ simul veræ esse nequeunt; nihil

hil autem impedit, quo minus in falsis ponatur utraque contrariarum, in quibus prædicatum est nota mutabilis; hæc enim dum uni, alterive individuo inest, a cæteris potest abesse; sic falsa est utraque harum: Omnis Homo philosophatur, nullus Hominum philosophatur.

Schol. Præcipua enunciationum genera, de quibus in Arte cogitandi præcipiendum fuerat, persecutus sum; sed quoniam in scientiis, & ut plurimum in disciplinis mathematicis iterata occurrit mentio axiomatum, theorematum &c. in quorum cognitione Tyronem nostrum rudem esse, plebejum foret; horum quoque definitiones Cap. sequenti paucis exequar.

CAPUT TERTIUM.

De propositionibus apud Mathematicos usitatis.

§. 53.

Axioma, seu propositio per se nota est, in qua prædicatum subjecto convenire ex sola cognitione *Axioma, postulatum.*

tione terminorum prædicati, & ſubjecti admittere cogimur; cujusmodi eſt illud: duo, & tria ſunt quinque. Axiomatum autem auctoritatem habent etiam *poſtulata*, quorum nomine veniunt enunciationes, quibus fieri poſſe quidpiam adfirmamus, quin iſtud argumentis probare ſit neceſſum; e. g. Genus dividi poteſt in ſuas ſpecies.

§. 54.

Theorema, problema.

Theorema eſt propoſitio nexum prædicati cum ſubjecto enuncians, cujus veritas ut pateat, argumentis roborari debet. e. g. Anima humana eſt immortalis. *Problema* porro eſt enunciatio, qua faciendum quidpiam adfirmatur, quod num fieri poſſit, perſe non intelligitur. e. g. condere bonam definitionem, vel diviſionem: proptereaque ſubjicitur illi *reſolutio*, quæ modum ſuppeditat, quo poſſit id, quod eſt propoſitum, fieri; dein adjicitur *demonſtratio*, quæ hoc modo rem petitam effici oſtendat.

§. 55.

§. 55.

Corollaria demum, vel consectaria sunt enunciationes, quarum veritas ex præcedentibus facile colligi possit; *Scholia* erunt observationes, quæ ad utilitatem ostendendam, vel illustrationem dictorum pertinent; propositiones autem ex alia disciplina petitæ, ut pronius de assertis nostris alios convincamus, *lemmata* nuncupantur. *Corollaria, Scholia.*

PARS TERTIA

DE RATIOCINATIONE, ET ARGUMENTATIONE.

CAPUT PRIMUM.

De Ratiocinatione.

§. 56.

Ratiocinatio. Qui duas ideas ſucceſſive confert cum aſſumta quapiam tertia, tum propter cognitam cum hac earundem concordiam, vel diſcordiam colligit eas inter ſe convenire, aut mutuo pugnare, ratiocinatur; quapropter *ratiocinatio* erit illa mentis functio, qua duarum idearum concordiæ, vel diſcordiæ propter cognitam earumdem convenientiam, aut pugnam cum idea tertia aſſentimur, vel diſſentimus.

e. g. Habes tam corporis, quam animæ tuæ notionem, neque tamen illico perſpicis, in quam claſſem ſubſtantiarum, corporearumne, num corporis expertium

eam

eam collocare debeas; quocirca in subsidium tertiam notionem, e. g. motus liberi adhibe, & cum hac binas priores notiones contende hoc pacto: Anima mea ex se, & libere huc illucque se commovet, nullum autem corpus se ipsum libere movet; mea igitur anima non est corpus.

§. 57.

Tres ideæ ad ratiocinationem necessariæ sunt.

Ex ipsa autem natura ratiocinationis intelligitur, in ea tres solum diversas notiones, & bis unamquamque adhiberi: duæ sunt, quæ cum tertia comparantur, tertia porro idea est, qua cum duas priores contulisti; hæc *media*, illæ extremæ notiones dicuntur; quumque ideæ unius cum altera comparatio absque judicio non instituatur, tribus quoque judiciis ratiocinationem constare oportet; duo, quibus jam unius, jam alterius ideæ extremæ cum media peragitur comparatio, tertium est, quo extremarum inter se concordia, vel discordia adfirmatur, aut negatur: priora duo judicia *antecedentis*, ultimum *consequentis*, vel *conclusionis* nomine compellatur.

SCHOL. Conſequens a conſequentia diſcerni debet, hæc enim ſita eſt in eo nexu, qui antecedens inter & conſequens intercedit, cujus nexus ea ſit vis, & poteſtas, ut ſuperſtite antecedentis veritate, conſequens ut falſum reſpui nequeat.

§. 58.

Triplex duarum cum tertia comparatio.

Contendentibus modo duas ideas cum tertia, tres duntaxat occurrere poſſunt caſus, in quibus comparatio earum inſtitui queat. 1° ut duæ ideæ extremæ conveniant cum notione tertia. 2° Ut ex duabus una congruat, pugnet autem idea altera cum aſſumta tertia notione. 3° Ut neutra ex duabus extremis concordet cum tertia idea: atque ex his promanant ſequentes per ſe notæ propoſitiones, quibus nititur omnis ratiocinatio.

§. 59.

Axiomata pro ratiocinatione.

Quæ hac ratione enunciantur: 1um *quæcunque conveniunt uni tertio, conveniunt inter ſe:* Si igitur duæ ideæ concordaverint cum una tertia

tertia notione, in concluſione adfirmare oportet, notiones extremas invicem convenire. 2^dum *Ex duobus, quorum unum congruit cum tertio, non item alterum, hæc duo non conveniunt inter ſe*: quare ſi una extremarum diſcordaverit, & altera convenerit cum media notione, in concluſione negetur extremas ideas inter ſe congruere. 3^um *Si ex duobus neutrum congruat cum tertio, illa poſſunt inter ſe convenire, vel non convenire.* Si proinde neutra extremarum notionum congruat cum tertia idea, neque adfirmantem, neque negantem concluſionem inferre licebit.

Schol. Prædicta tria axiomata luculento ut illuſtrem exemplo: Finge aliquot adeſſe tibi partim denarios, partim cruciferos; ut ſcire poſſis, num horum valor ſit æqualis; aſſumme monetam tertiam e. g. groſſum unum, cujus valorem probe perſpectum habeas; cum hoc igitur partim tuos denarios, partim cruciferos compara: Si deprehendis utramque monetæ ſpeciem in valore congruere cum groſſo, citra omne dubium concludes juxta primum axioma eosdem inter ſe convenire hac, ſimilive ratiocinatione: Denarii mei e. g. quinque

ſunt ejusdem cum groſſo uno valoris, ſed etiam cruciferi mei e. g. tres ſunt ejusdem valoris cum groſſo uno, mei ergo denarii ſunt ejusdem valoris cum meis cruciferis.

2^do Statue denarios tuos e. g. quinque convenire cum groſſo, non item cruciferos, e. g. quatuor, ex axiomate ſecundo concludes denarios tuos non eſſe ejusdem valoris cum tuis cruciferis ita ratiocinando: Denarii mei ſunt valoris ejusdem cum groſſo uno, cruciferi autem mei non ſunt ejusdem valoris cum uno groſſo; Denarii igitur mei non ſunt ejusdem valoris cum meis cruciferis.

3^tio Pone neque denarios, neque cruciferos tuos convenire cum uno groſſo, quid facies? num denarios tuos cum cruciferis convenire concludes? at oppoſitum fieri poteſt, ut nempe denarii tui non congruant in valore cum tuis cruciferis; ſi enim ſex denarios, totidemque poſſideas cruciferos, neque cum groſſo, neque inter ſe convenient: concludesne itaque Denarios tuos in valore non convenire cum cruciferis? & iſtud vitioſe; rurſum enim contrarium eſt poſſibile: Sint enim tibi decem denarii, & ſex cruciferi, neutra monetæ ſpecies cum groſſo uno congruet, utraque tamen valoris ejusdem erit: quid igitur reſiduum eſt, niſi ut 3^tio axiomati aſſentiaris, & ex eo, quia neque denarii,

neque

neque cruciferi tui cum groſſo conveniunt, nullam a te poſſe inferri concluſionem concedas.

CAPUT SECUNDUM.

De Argumentatione.

§. 60.

Ratiocinatio verbis expreſſa, eſt *argumentatio*, hæc ut Demonſtrationis vim obtineat, præter nexum antecedentis cum conſequente, propoſitiones non niſi certas, & evidentes in antecedente contineat, oportet: pone enim has ambiguæ, & incertæ eſſe veritatis, argumentatio dicetur *probabilis*, aut ſtatue antecedentis cum conſequente nexum abeſſe, erit *ſophisma*, vitioſum argumentandi genus. Sunt autem præcipuæ argumentationis ſpecies, Syllogiſmus, Enthymema, Dilemma, Sorites. *Argumentatio.*

§. 61.

Syllogismus. Ex his illa argumentandi forma, qua tria ratiocinationis judicia tribus manifestantur propositionibus, vocatur *Syllogismus*, cujus enunciatio prima *majoris*, altera *minoris*, tertia *conclusionis*, vel complexionis nomine nota est Dialecticis; & si quas Syllogismus complectitur enunciationes, omnes fuerint simplices, Syllogismus quoque simplex dicetur; ut est ille Catonis apud Cic. l. de fin. bonum omne laudabile, laudabile autem omne honestum: igitur omne bonum honestum.

COROLL. Cum termini inclusas ratiocinatione notiones indicent, in Syllogismo simplici non nisi tribus terminis ex §. 57. significatione distinctis locus relinquitur, duobus extremis, & uni medio termino; quare cum idem vocabulum diversi significatus esse possit, in Syllogismo idem verbum semper cum eadem significatione est accipiendum, secus re, & sensu, quod erroneum est, plures tribus adessent termini. Unde in vitio est ille apud Senecam Ep. 48. Syllogismus: Mus Syllaba est, mus autem

autem caseum rodit ; Syllaba ergo caseum rodit.

§. 62.

Hypotheticus.

Compositus porro erit Syllogismus, in quo *major*, vel *minor* enunciatio fuerit composita. Ab harum varietate promanat varietas syllogismorum, ut alius sit *copulativus*, alius *disjunctivus*, alter denique *hypotheticus* : In hoc præcipiunt, ut adfirmato antecedente hypotheticæ propositionis in *minore*, adfirmetur consequens in *conclusione* ; conditionati enim in conditione sita est ratio, qua posita ponendum & id, cujus adest ratio. 2° Sublato consequente in *minore*, tollendum esse antecedens in *conclusione* ; posito enim antecedente consequens quoque superstes mansit, hoc igitur absente, neque illud præsto erit.

Exemplum primi : Si Sol micet, dies est ; lucet autem, dies igitur est ; item : Si una continemur omnes, ex eadem lege naturæ, violare alterum Lege naturæ prohibemur, verum autem primum, verum igitur & extremum. Juxta alteram legem

ita arguit Cic. Si illud, hoc: non autem hoc; igitur ne illud quidem: item; Si veniſſes ad exercitum, a Tribunis militaribus viſus eſſes, non es autem ab his viſus; non es igitur profectus ad exercitum.

§. 63.

Copulativus. Quod ſi in ſyllogiſmo copulativo enunciatio ejusmodi conſtet membris, quæ vera ſimul eſſe nequeant, unum eorum adfirmatur in minore, ut cætera rejiciantur in concluſione: hoc pacto; nemo poteſt in litteris colendis ſedulus eſſe, ſimulque otio languere, at gloriæ cupidus in litteris tractandis ſedulus eſt, otio igitur non languet.

§. 64.

Disjunctivus. In Disjunctivo deniqne Syllogiſmo ſi enunciatio contineat partes, quæ neque ſimul veræ, neque etiam falſæ eſſe poſſint, in minore propoſitione earum una ponetur, & partes reliquæ in concluſione tollentur; aut cæteris prius infirmatis, una reliqua adfirmabitur, in complexione. e. g.

Aut

Aut negandum est Deum esse, aut fatendum Dei consilio mundum administrari, esse autem Deum nequit negari; fateamur itaque Dei consilio mundum administrari.

CAPUT TERTIUM.

De reliquis Argumentationum formis.

§. 65.

Ad reliquas argumentandi formas pertinet *Enthymema*; & est argumentatio duabus constans propositionibus, quarum prior antecedens, altera consequens dicitur, solet etiam Syllogismus truncatus vocari, una enim Syllogismi præmissa, quæ facile suppleri queat, in Enthymemate reticetur. e. g. Respirat, vivit igitur. Sol lucet, ergo dies est; pacem vult Antonius, arma ponat. *Enthymema.*

§. 66.

Dilemma. Dilemma autem, quod Cicero involutum, & cornutum disserendi genus adpellavit, est pluribus constans partibus argumentatio, in qua utrum concesseris, reprehenditur, & ex singulis disjunctivæ propositionis membris contra Adversarium quidpiam colligitur; hoc pacto Cicero urgebat Catilinam dicens: Discede, & hunc mihi timorem eripe; si verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.

Schol. In hoc argumentationis genere illud diligenter videre oportet, ne conversione infirmari, & refelli queat: unde male Varro contra Ciceronem arguebat Philosophiam latinis litteris non esse conscribendam, dicens: Aut enim Græca legere malent, qui erunt eruditi, aut ne hæc quidem, qui illa nesciunt, reprehenditur enim a Cicerone hac conversione: Imo vero & hæc, quia illa non poterunt, & qui Græca poterunt, non contemnent sua, quid enim causæ est, cur Poetas latinos Græcis litteris eruditi legant, Philosophos non legant?

§. 67.

§. 67.

Postremo Sorites dicitur esse argumentatio pluribus constans propositionibus ea lege connexis, ut continuo prædicatum prioris fiat subjectum sequentis enunciationis, donec ad conclusionem perveniatur, in qua subjectum primæ conjungi oporteat cum prædicato propositionis ultimæ. *Sorites.*

Soritem suppeditat Cicero, dum in qq. Tusc. inquit: Necesse est, qui fortis sit, eundem esse magni animi, qui magni animi sit, invictum; qui invictus sit, eum res humanas despicere, atque infra se positas arbitrari, despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest; ex quo efficitur fortem Virum ægritudine nunquam affici posse.

PARS QUARTA.

DE METHODO.

CAPUT PRIMUM

De veritate dijudicanda.

§. 68.

Methodus. Explicatis jam notionum, judiciorum, & ratiocinationis legibus, necessum est evolvere illa, quæ in methodo ponuntur. Est autem Methodus ars, ope cujus enunciationes aliæ cum aliis nexu perpetuo ita apte colligantur, ut vi earum ad veritatem felicius deducamur; cujus artis princeps regula est illa, quæ docet cogitationes, & veritates ea ratione esse ordinandas, ut continuo ex prioribus posteriores, & consequantur, & intelligantur.

§. 69.

Analytica, & Synthetica. Duplex verò est Methodus: Analytica, qua ab veritatibus singula-

gularibus, & compoſitis ad ſimplices, & univerſales veritates progredimur; tum Synthetica, ope cujus a veritatibus ſimplicibus, & univerſalibus ad compoſitas, & particulares delabimur; hæc ad veritates exponendas accomodatior, illa autem ad inveniendas eſt aptior, per analyſim enim, ſeu reſolutionem totius in ſuas partes, veritates plurimæ inveniuntur.

Schol. Methodi utriusque indoles illuſtrari ſolet exemplo a genealogia alterius petito; cujus originem dum inveſtigas, a poſteris ad Majores aſcendis; ſi cognitam jam aliis exponere cupias, a Majoribus ad poſteros deſcendendo pedetentim progrederis: hic modus cum Synthetica, prior congruit cum analytica methodo.

§. 70.

Veritas abſque criteriis fruſtra quæritur.

Sed ſi non datur veritas, quod volunt ſceptici, quæ a finitimo ſibi falſo nota quapiam, *criterium veri* Græcis dicitur, diſcerni queat; jacere omnia de methodo adferri ſolita eſt neceſſe: quomodo enim, ſciſcitatur Sextus Empir.

Empir. adv. Math. aliquis poterit quærere nullam habens notionem rei quæsitæ ? eam assecutus, nesciet se assecutum, nec si aberraverit a scopo, se aberrasse: primum itaque perspicuitate i. e. clara & distincta notione concordiæ prædicati cum subjecto, dein testimonio sensuum externorum, tandem plena authoritate, vera a falsis separari posse exhibebo.

§. 71.

Dubitare non possumus de iis, 1mo quæ perspicuitas.

Sit autem illud extra disceptationem positum, si quidpiam menti attentæ, & tranquillæ, sæpiusque rem eandem ad examen revocanti constanter perspicuum appareat, neque ex eo falsi quidquam erui possit; secundo, si idem & aliis ratione utentibus semper evidens esse videatur; ope sensus intimi palam nobis fieri, non minus a potestate nostra abesse assensum ejusmodi rei negare, atque apertis de die oculis civitatem solis radiis illustratam circumire, nihil tamen videre.

Dic

Dic enim, potuisti ne unquam dubitare de eo, quod cogites, vivas, existas? te quidem existere verbis negare potes, nam & mentiri potes; at inspice, & omni ex parte animum tuum excute, num a te, ut hæc serio, & ex animo neges, impetrare unquam possis, eloquere! nobis videtur cum Lucullo: *Ut necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere.*

§. 72.

Quid autem referam de sensibus externis, qui existentiam corporum eodem semper modo testantur, pluresque in annunciandis iisdem objectis amice concordant? an non hi de existentia corporum mentem ita convincunt, ut in simili sensuum testimonio animus hominis prorsus conquiescat? secus enim unde eveniret? ut aliis de rei cujuspiam veritate eos persuasuri, nos propriis rem illam oculis usurpasse, hisce manibus explorasse, magna cum fiducia adfirmemus, & Auditori nihil jam ultro requirenti plene satisfaciamus, securumque de rei veritate dimittamus.

2° quæ testimonum sensuum objectis rite applicatorum.

Audi

Audi Lucullum apud Ciceronem ita causſam noſtram perorantem ; ordiamur , inquit ille , a ſenſibus , quorum ita clara judicia , & certa ſunt , ut ſi optio naturæ noſtræ detur , & ab ea Deus aliquis requirat , contentane ſit ſuis integris , incorruptisque ſenſibus , an poſtulet melius aliquid ? non videam , quid quærat amplius. Meo autem judicio ita eſt maxima in ſenſibus veritas , ſi & ſani ſint , & valentes , & omnia removentur , quæ obſtant , & impediunt ; itaque & lumen mutari ſæpe volumus , & ſitus earum rerum , quas intuemur , & intervalla , aut contrahimus , aut diducimus , multaque facimus uſque eo , dum adſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii.

§. 73.

3° *quæ Authoritas humana plena dictat.*

Si jam denique homines diverſæ ætatis , conditionis , & indolis , de rebus ſenſui e. g. oculorum aut manuum obviis quidpiam recenſeant in iis circumſtantiis , in quibus nullum prorſus appareat motivum , cur ad mentiendum omnes conſpirare voluiſſent ; ſenſus intimus , judex ille mutationum , in anima noſtra fieri ſolitarum , oſtendit nobis manifeſte ,

teſti-

teſtimonio ejusmodi hominum refragari non minus ſana ratione utentibus impoſſibile eſſe, atque negare illa, quæ propriis oculis conſpeximus.

Quemadmodum enim ambigere nequimus de exiſtentia Budæ, quam noſtris continuo intuemur oculis; ita etiam perſentiſcimus in animo noſtro, non poſſe in dubium revocari a nobis exiſtentiam Urbis Romæ, quam nunquam vidimus, poſtquam de ea conſtans diverſiſſimorum hominum teſtimonium habemus; nec immerito: quid enim, fors decipi teſtes hos potuiſſe urgebis? at ſenſibus propriis, ſæpius, identidemque illam conſpexerunt; an nos decipere hi teſtes voluerunt? Sed quo inducti motivo? nemo citra cauſſam improbus, nihil factum cuiquam probatur, niſi aliquid, quare factum ſit, oſtendatur: bene igitur Cic: *Neminem omnes, & nemo unquam omnes fefellit.*

§. 74.

Perſpicuitas teſtimonium ſenſuum, & authoritas humana plena eſt criterium veri.

Quæ cum ita ſe habeant, inſtruant modo nos Sceptici, minutique novi Philoſophi, quonam pacto eveniat, ut in rebus aliis, exempli cauſſa num Milo Clodium

jure occiderit, judicium cohibere poſſimus; in prædictis autem §. 71. 72. & 73. citra notam inſaniæ formidare nequeamus, utque ſentiamus aliud, fruſtra a nobis impetrare nitamur? dein, ſi & illa, de quorum veritate nullo modo dubitare poſſumus, in falſis ſint; doceant nos, qui fieri poſſit, ut hominis animus veri inveniendi deſiderio inquietus omnes rerum latebras ſedulo inveſtiget, & excutiat, tum autem ſubito in falſis, nudaque veri *ſpecie*, velut naufragus ad ſaxum adhæreſcat? namque quid aliud eſt talia jactare, quam non cibo, at cibi *ſpecie* ſtomachi bene valentis famem ſopire, & ingeſtis temere carbonibus vehementem ſitim extinguere velle?

CAPUT SECUNDUM.

De arte inveniendi veritatem.

§. 75.

Transitus ad veritatem inveniendam.

Hanc ubi verum a falso dijudicandi viam perspexisti, ad artem inveniendi veritatem, & argumenta, quibus eam corrobores, progrediendum tibi est; de inventione argumentorum copiose antiqui, a me autem, ut brevissime dici potuerit, dicetur: ut enim, inquit Tullius, si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa, & notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipsemet foderet, nulloque errore inveniret; sic has signabo argumentorum notas, quæ illa quærenti demonstrent, ubi sint, reliqua cura, & cogitatione eruentur.

§. 76.

Fontes argumentorum. Ducuntur autem præcipue argumenta ex generalibus veri criteriis capite ſuperiore enumeratis; tum a Definitione; quidquid enim convenit, vel repugnat definitioni, repugnat etiam, vel convenit definito; tum ab adjunctis, & ſimilitudine, dein comparatione majorum, minorum, & parium: ex propoſitionibus etiam contradictoriis; harum enim ſi vera altera, alteram eſſe falſam colliges ex §. 52. & viciſſim: alia ducuntur argumenta ab inductione, qua ubi quidpiam ſingulis inferioribus generis, vel ſpeciei cujusdam convenire oſtenſum eſt, concluditur illud univerſe toti generi, vel ſpeciei convenire: Denique ex principio illo vulgari: quidquid univerſim de genere, vel ſpecie adfirmatur, aut negatur, illud etiam ſingulis adtribui, aut ab iisdem removeri poteſt.

Schol. Quod autem argumentorum genus cuique cauſſarum generi maxime conveniat, non eſt artis exquiſitæ præſcribere,

re,

re, sed est mediocris ingenii judicare, inquit Cic. qui quoniam hæc l. de inv. & l. Topic. adductis exemplis plus, quam necesse, illustravit; de hoc argumento ultra ne verbum addam; illas tamen, sunt enim usus uberioris, præceptiones non præteribo, ope quarum inventas jam ab aliis, librisque consignatas veritates eruere possis; quod non aliter effici posse me etiam non monente assequeris, quam habita linguæ, qua Author usus est, plena cognitione.

§. 77.

Vocabulis iisdem non idem ab omnibus significatur.

Sed cum de rebus Homines non secus loquantur, atque de iisdem cogitent, diversæ autem iisdem de objectis apud diversos sint notiones, contingit, ut idem vocabulum a diversis prolatum frequentius alium, & alium sensum contineat; quare obtenta linguæ, qua alter utitur, notitia, prolati ab aliis vocabuli significatum non ex propriis ideis æstima, verum juxta loquentis mentem accipe.

Sic *animæ* vocabulo nos denotamus rem cogitantem, materiæ expertem; Lucret. l. 3. de rer. nat. facit cogitantem, at simul cum Epicureis corpoream; Plau-

tus ne quidem cogitantem, dum animæ vocabulo haltum oris intelligit in Asin. dicens: *Edepol animam suaviorem aliquanto, quam uxoris meæ:* Ita, qui Sectatores Spinosæ, *Deum* ab iis admitti audiens, de numero Atheorum expungi juberet, falleretur oppido, hunc enim mundum Dei nomine indicant: Sic vocabulum *Consulis, Senatoris* non æque angustam apud Romanos, ac hodie notionem habuit; *Philosophi, Mathematici*, amplior est hodie, atque olim fuerat, idea.

§. 78.

Leges intelligendi verba aliorum.

Permagni igitur interest nosse, quibus utendum sit cautionibus, ut aliorum vocabula intelligas; sequentes leguntur apud Cic. l. 2. de inv. C. 20. primum si fieri poterit, demonstrandum est, non esse ambigue scriptum, propterea, quod omnes in consuetudine sermonis sic uti solent eo verbo; deinde ex inferiore, & superiore Scriptura, dein, qua in sententia fuerit Scriptor ex cæteris ejus scriptis, factis, dictis, animo, atque vita ejus summi oportet.

§. 79.

§. 79.

Illud itaque primo præ oculis habendum, num auctor vocabula, quibus utitur, prius explicuerat; hoc enim ad Leges definitionis declarato ambigue non ſcripſit, ſenſumque terminorum juxta exhibitam ab ipſo deſcriptionem exigendum eſſe non dubitatur. *Lex prima.*

e. g. Legis Tullii locum in Or. pro Mur. C. 13. Si mihi, homini vehementer occupato ſtomachum moveritis, triduo me Juris-conſultum profitebor. Ne hæc arrogantius dicta fuiſſe a Cicerone arbitreris, cujusmodi fecerit mentionem Juris-Conſulti. Vide l. de Orat. C. 55. ubi ait: Juris-Conſultus ipſe per ſe nihil, niſi Legulejus quidam cautus, & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum.

§. 80.

Verum ſi auctor ſua non definivit vocabula, juxta communem uſum, & conſuetudinem ſermonis ſunt accipienda; ſingulus enim loquitur, ut ab aliis intelligi poſſit, quæ lex viget plurimum in ſermone *Lex Secunda.*

de rebus vulgaribus, item in narrationibus, epistolis, orationibus; alia est enim illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas, alia cum ad opinionem communem omnis accomodatur oratio; quamobrem ait Cic. l. 2. de Offic. Ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur; popularibus enim verbis est agendum, & usitatis, cum loquimur de opinione populari.

Dolose igitur interpretatus est vocabulum *diei*, qui, cum triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactæ, non noctium induciæ; sicut refert Cic. l. 1. de Offic. ita etiam calumniatus est legem lanas Tarento evehi prohibentem, qui oves copiosa lana graves evexit; vide Quint. l. 7.

Schol. Usus autem vocabuli ad auctoris statum, Patriam, & ætatem exigi debet; sunt enim verba, ut Nummi, quibus alium prior, alium hæc ætas adnectit valorem: hoc pacto mutari significata vocum innuit Cic. l. 1. de Offic. dicens: Equidem illud etiam animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante; hostis enim apud Majores nostros

ſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus; indicant duodecim tabulæ: Ita etiam P. Cato in Orat. quam contra captos conjurationis Catilinariæ Socios in Senatu dixerat; hic mihi, inquit, quisquam manſuetudinem & miſericordiam nominat? jam pridem equidem nos *vera* rerum vocabula amiſimus; quia bona aliena largiri liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. Vide Sall. Bel. Catil. C. 52.

§. 81.

Deinde ex inferiore, & ſuperiore Scriptura i. e. ex illis, quæ antecedunt, & ſequuntur; atque ex locis ſimilibus, in quibus verba eadem reperiuntur, eademque ratione loquendi formulæ proponuntur, ſenſus vocabuli multitudine ſignificationum ambigui eſt determinandus. *Lex tertia.*

Sic Quintus Metellus Numidicus in Orat. quam de triumpho ſuo habuerat, his verbis uſus eſt: qua in re quanto univerſi me antiſtatis, tanto vobis, quam mihi majorem injuriam, atque contumeliam facit; & quanto probi injuriam facilius accipiunt, quam alteri tradunt, tanto ille vobis, quam mihi pejorem honorem habuit; nam me injuriam ferre, vos facere vult

Quirites! Honorem dixit pejorem, cujus verbi quæ sit sententia elucet ex iis, quæ prius dixerat: *majore vos affecit injuria, & contumelia, quam me.* Item Scipio Affric. in Som. C. 7. ait, apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo *unius anni* memoriam consequi potest voce *unius anni* magnum Mathematicorum annum, qui ad idem punctum, unde semel profecta sunt, cunctorum astrorum reditu efficitur, accipi debere ex consequenti sermone, & ex loco simili l. 2. de nat. Deor. C. 20. apud Cic. fit perspicuum.

§. 82.

Lex quarta. Tum quid vocabulis quibusdam scriptor intellexerit, ex cæteris ejus scriptis, dictis, & factis dijudicabitur, illeque sensus vocabulorum præsummetur esse, qui cum integro ipsius sermone cohæreat, & reliquæ ejus doctrinæ respondeat: quare perperam agunt, qui non loca obscura ex claris interpretari, verum claris per obscura lucem eripere conantur: Utrum enim tandem, ita reprehendit Stoicos Cic. l. 4. de fin. perspicuisne dubia aperiuntur, an dubiis perspicua

ſpicua tolluntur? vos, cum perſpicuis dubia debeatis illuſtrare, dubiis perſpicua conamini tollere.

e. g. Cicer. l. 1. qq. Tuſc. C. 27, & 29. ait in animis nihil eſſe mixtum, atque concretum.. nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poſſe, ex his colligere ſolent a Cicerone perſpicuis plane verbis expreſſam eſſe naturam animi, omnium partium, omnisque materiæ expertem; Verum quid ſi his verbis Cicero corvos ſolum deludit hiantes? excutiamus enim reliqua ejus ſcripta, ne in regulam *4tam* offendamus: L. 4. qq. Acad. ait: Tenemusne, quid animus ſit, an *ſimplex*, unusque ſit? ſi *ſimplex*, utrum ſit *ignis*, an anima, an ſanguis? l. 3. de nat. Deor. C. 14. etenim aut *ſimplex* eſt natura animantis, ut vel *terrena* ſit, vel ignea, vel animalis, vel humida: aut concretum ex pluribus naturis: De Senect. C. 21. Cum ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quidquam *admiſtum*, *diſpar ſui*, atque diſſimile, non poſſe eum dividi. Videmus modo Ciceroni *ſimplex* fuiſſe vocabulum duntaxat contrarium rei ex diverſis corporibus coagmentatæ; qualia dein corpora neque *dividi*, neque *diſtrahi* poſſe aſſeruerat.

§. 83.

§. 83.

Lex quinta. Perſpecta jam ſingulorum vocabulorum poteſtate, examinandæ ſunt integræ enunciationes, num univerſales ſint, vel particulares, compoſitæ, an ſimplices? tum Auctoris ratiocinatio pervidenda, in qua partes ratiocinationis, quæ reticentur, induſtria propria ab initiato ſapientiæ Alumno ſupplendæ, & tamquam ſi carne reſecta velis oſſa aperire ad formulas ſyllogiſmorum ſunt revocandæ: ita ex argumento Medeæ: *ſervare potui, perdere an poſſim rogas?* hunc ſyllogiſmum formabis: ſi quid potui ſervare, potui etiam perdere, ſed te potui ſervare, ergo potui & perdere.

Schol. Verum pluribus nonnullæ auctorum ſententiæ premuntur difficultatibus, ac ut ab illis Juvenes ſe expedire valeant, eum in finem inſtituta ſunt collegia publica, quæ ut cum fructu frequentare queas, ſequentes præceptiones in numerato habebis.

§. 84.

§. 84.

Primo: futuræ prælectionis materiam evolve privata lectione, quam neque præcipitem ex §. 20. neque variis animi distractionibus interruptam esse volumus: quid enim expectes ab illis, qui cum festinatione, & veluti per transennam libros perlustrant, semperque aliud, & aliud meditantes lectionem continuo interrumpunt? hi profecto, si quid video, immemores priorum, dum ea cum subsequentibus conferre non valent, fit, ut lecta non intelligant, bonoque tempore, & otio turpiter abutantur! Contingit equidem, ut nonnunquam inter legendum occurrant quæpiam, e quibus sæpius etiam viam relegendo; exitum frustra optes; at non hic illico a lectione cessandum; adnotanda solum ista, ut mentem ad eadem in collegio magis advertas, in reliquo laborem pristinum prosequere. *Regulæ ante collegium.*

§. 85.

In ipso Collegio Secundo: constitutus in collegio sub explicatione omnes attentionis, & ingenii nervos converte in docentem, a cujus ore pendebis; vitanda igitur omnis corporis inquietudo, cohibendi sensus, ne per varia objecta distrahantur, oculi præsertim, ne temere huc, atque illuc evagentur, continendi; sic præparatus exempla, & alia, quibus res explicanda illustratur, speciatim animo imprime, hæc enim si negligas, frustra tibi principia præmandi, frustra repeti eandem cras, eandemque deinceps surdo fabulam frustra inculcari ne dubita.

§. 86.

Post Collegium servandæ. Tertio: audita in collegio, aut eo, quo didicisti ordine, domi aliis deprome, aut tecum ipse voce clara repete; hac enim ratione fideliori memoriæ audita commendabis, distinctamque expositæ materiæ notionem tibi adesse demonstrabis; minus tenacem ubi advertis memoriam,

riam, ea, quæ didiciſti, velut in pugnum contracta, juvabit in chartam ſuo tempore reſummendam conjicere.

§. 87.

Subſidium memoriæ.

Cæterum, cum tantum ſciamus, quantum memoria tenemus, proderit noſſe adjumenta memoriæ: Roboratur illa maxime attenta, ordinataque rerum lectione, dein frequenti exercitio, ope cujus ſingulis diebus quidpiam ex Auctoribus memoriæ infigis; aſſidua demum repetitione, de quibus enim frequentius meditamur, eadem tenacius memoriæ imprimuntur.

Schol. Imitandi ſunt Pythagoræ Diſcipuli, quorum nemo e lecto ſurgebat, quin prius in memoriam revocaret, quid pridie *primum* audierit, quid *ſecundum*, quid *tertium*: ut opera eadem intellectum ſimul, & memoriam perficerent: Idem veſperi ipſos factitaſſe indicant aurei illi verſiculi: Nec feſſa in dulcem declines lumina ſomnum, quin ter cuncta prius reputaveris acta diei.

CAPUT TERTIUM.

De arte differendi.

§. 88.

Principia differendi. Hoc perfunctus labore Tyro noster, satis, multumque se profeciſſe in primis eruditionis lineis gloriabitur; quas aliis ſæpius viva voce cum exhibere debeat, ne ruat in dicendo, hæc pauca tenebit. Primo: ambiguæ, & involutæ rei notitiam definiendo aperiet: ſecundo rem, de qua agitur ad leges §. 36. exhibitas in ſua membra diſtribuet, tum certa ab incertis ſecernens, primum illa, tum hæc exponet: tertio explanationem veritatis bene inchoatam, per continuam rationum, & argumentationum catenam ducere adlaborabit, ne fors perturbata circa finem ratiocinationis ſerie oſtendat ſe ſimilem eſſe fabro illi, de quo Horat. in art. Poet. inquit:

Æmi-

Æmilium circa ludum, faber
imus, & ungues
Exprimet; & molles imitabi-
tur ære capillos;
Infelix operis ſumma; quia
ponere totum
Neſciet.

§. 89.

Atque ex jactis principiis ſe- *Regula prima.*
quentes regulas veluti rivos ex fonte profluere puta: 1° locuturus cum aliis de quibusdam ſcientiæ articulis probe prius cogitata tua expende, & antequam verba ab ore elabi ſinas, quanti ſint ponderis, æqua lance ſæpius examina; quoties enim aliquid aut dicimus, aut loquimur, toties de nobis judicatur.

Nonnulli ita conſuevere loqui, ut vocabula ab aliis prolata Pſittacorum inſtar dicendo repetant, quorum ſignificatum exponere rogati continuo obmuteſcunt; horum ego ſimilem ſermonem, an campanarum ſonitum in Regione incognita audiam, nihil intereſſe puto: Vitio huic medeberis, ſi ſonum ab idea ſono indicata diſcernere, & in omni ſermone penſare non neglexeris,

ris, quæ, cujusque rei imago menti tuæ obverſetur prolato novo quopiam vocabulo: dein ſi non ſolum alienas cogitationes memoriæ tradere, ſed & ipſe cogitare, notiones cum notionibus conferre, & ex iis concluſiones deducere adlaboraveris.

§. 90.

Regula ſecunda. Verbis autem utare quam uſitatiſſimis, & quam maxime aptis, i. e. rem declarantibus: nihilominus terminos, ſint licet novi, dummodo ſcientiis proprii, non reformidabis; fecit nobis eorum poteſtatem Tullius dicens: Dialecticorum verba nulla ſunt publica, ſuis utuntur, & id quidem commune omnium fere eſt artium, audebimus ergo novis verbis uti, ſi neceſſe fuerit; ita ille in qq. Acad.

Quia tamen qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa peperererunt, quæ ſua ſponte ſquallidiora ſunt; refugientibus aſpero dicendi genere faſtidium alteri ciere, adhibendus erit in hiſce explicandis quidam nitor; ne ſi verba teneamus

mus mordicus, duriores, horridioresque evadamus, & oratione, & moribus.

§. 91.

Denique sicut ordinate §. 23. quidpiam discì, ita etiam exprimi debet; qui secus agunt, intelligi nequeunt, confundunt enim ex diversis orationem, & velut saltantes huc, illuc, nusquam firmo talo insistunt; considerandum proinde, mónet Cicero, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ad extremum, transiliendo media, prodeatur. *Regula tertia.*

Quod vitium, qui evitare volet, velle autem omnes debent; curabit, ne prolixius, ac oporteat, tanquam occupata verborum possessione suis exponendis immoretur; garrulus enim, ut inquit Horat. dum variare cupit rem progredialiter unam, Delphinum Silvis appingit, fluctibus aprum. Tum ne affectet brevitatem Stoicorum, quorum si littera una commota sit, fatentur fore, tota eorum ut labet disciplina; hac enim brevitate efficimus, ut in ænigmata Heracliteorum ultimo prolabamur, a

quibus si quidpiam interroges, inquit Plato, tamquam ex pharetra obscura verba depromentes sagittant, & hujus si rationem perquiras, altera quadam, sed mutato nomine feriunt: qui, quoniam quid dicerent, intelligi nolunt, non auditi etiam dimittuntur.

ERRATA — CORRIGE

§. 4.	lin. 3.	sextum	-	Sextum.
§. 14.	lin. 11.	SOHOL.	-	SCHOLION.
§. 14.	lin. 23.	perpeturo	-	perpetuo.
§. 42.	lin. 7.	quumque	-	quamquam.
§. 62.	lin. 20.	micet	-	lucet.
§. 62.	lin. 22.	ex	- -	&
§. 77.	lin. 21.	spinosæ	-	Spinosæ.
§. 91.	lin. 18.	progredialiter	-	prodigialiter.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
6166-1913 napiszám

75624